

los docuit, certâ fide referant. Illi planè in Scriptura historica relatione certum discerent, Christum infallibilem Ecclesie suæ veritatem promississe, eamque idcirco nunquam decipiendam fore sibi possent suadere, quin tamen Sacros Scriptores sibi statuerent inspiratos. Tunc autem nomine inspirationis, quæ Ecclesie promissa est, illud tantum insinuatam crederent, quod Sacri Libri veri, & certa sint fidei. Hoc verò ad secundam hujus Dissertationis partem attinet.

Ut primæ difficultati, quæ & præcipua est, & rei nucleum tangit, directè respondeamus, hunc, quem distitant, ratiocinii circulum neque omnino circulum, neque veram principii petitionem esse defendimus. Quod ut fiat perspicuum ratiocinium nostrum paulò fustius explicamus. Principium, cui potissimum nos innitimur, illud statuimus, quod nempe Deus necessariò sit ipsa veritas, neque nos in errorem adducere possit. Cum igitur certiores fieri volumus, an per Librum, qui inspiratus præfertur, v. g. Pentateuchus, aut S. Matthæi Evangelium, Deus verè nos alloquatur; juxta rectæ rationis lumen perpendimus, qui sit hujus Libri Author, quibusve circumstantiis decoratur. Si Authorem Divino perfusum lumine, & Deum ejus verba & mores commendasse, & signis supernaturalibus comprobasse percipimus, veluti inspirato ei statim adhaeremus, & infallibilem ita ratiocinantes pronunciamus: Deus nos in errorem non potest adducere; adduceret verò, si Librum hujusmodi non inspirasset; verè igitur inspiravit.

Rationem verò habentes Ecclesie, quæ nobis Librum aliquem inspiratum esse testatur, hac via incedimus; Ecclesia Evangelium v. g. S. Matthæi inspiratum asserit, seque infallibilitatis munere à Deo donatam idèd perhibet, quòd Christus nunquam erroris immunem fore promiserit, ut ex ipso Libro, quem inspiratum præfert, perspicuè producitur. Antequam & Ecclesie, & ejusdem Libri authoritati obsequamur, ei semper inhærentes principio, quòd nempe Deus nos in errorem adducere non possit, de Libri Authore, de ejus vitæ circumstantiis, de iis, de quibus scribit, studiosè investigamus. Omnibus deinde præjudiciis abjectis, Opus evolvimus, & Authoris mores, & characteres disquirimus. Si hunc Divino Spiritu revera plenum, & illud certissimæ authoritatis esse cognoscimus; inspiratum ergo Librum, & infallibilem Ecclesiam esse concludimus. Quamobrem Ecclesie infallibilitas, quam ex eodem Libro percipimus, nobis novum Fidei, & Libro novum authoritatis sit argumentum. Si verò primum unicâ ratione ad ei, veluti inspirato, fidem adhibendam ducebatur, modò duplici argumento de ejusdem inspiratione suademur. Hæc duo principia inter se ita coherent, ut se invicem fusciant, & eorum utrumque suam in alterum matuò lucem regerant. Hanc igitur geminam ratiocinationem, quarum utrumque medium ad

idem concludendum confert, circuli notè quis jure inurat? Hinc sanè minimè fit, ut SS. Librorum inspirationis fides infirmetur; quin potiùs indè validius confirmatur.

ARTICULUS II.

De Inspirationis ratione.

Fideles omnes de Scripturæ inspiratione conveniunt; Theologi verò de Inspirationis ratione minimè inter se coherent. Sunt enim, qui Spiritum Sanctum Sacris Authoribus adèd adfuisse putent, ut nihil omnino seu re, seu phrasibus scriperint, quod à Deo inspirante non acciperint. Quam quidem sententiam Patres omnes, qui de Inspiratione egerunt, & omnes Theologi, qui usque ad decimum sextum sæculum scripsere, amplexi esse videntur (1).

Sunt alii, qui eam Spiritus Sancti in Sacris Authoribus fati esse asserant confiteri presentiam, quæ illud eis præstiterit, ut in iis, quæ vel ab aliis audiverint, vel per studium perceperint, referendis, minimè decipi poterint. Addunt verò, eodem Authores peculiari non modò rerum, sed & phrasium inspiratione tum fuisse afflatos, cum ea, quæ per solam revelationem scire poterant, retulere.

Dummodò de re præcipua, nempe Scripturas omnes inspiratas & infallibiles esse, nihilque præter Dei verbum complecti conveniamus, consentaneum videtur, ea nobis potestas fiat, ut, quod verosimilius ducimus, de Inspirationis ratione pro libito cogitemus. Lovaniensis nihilominus & Duacensis Academia, anno 1588. hæc, illa 1587. has propositiones à Lessio, & Hamelio anno 1586. editas censurâ iniuserunt: 1. Ut aliquid sit Scriptura Sacra, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse à Spiritu Sancto. 2. Non est necessarium ut singula veritates & sententia sint immediatè à Spiritu Sancto ipsi Scriptori inspirata. 3. Liber aliquis, qualis foris est secundus Maccabaorum, humanâ industriâ sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura Sacra.

Jesuitæ suam validè sententiam tuentes, Apologiam edidit, cui Lovanienses Doctores ab Episcopis justè die 17. Augusti 1588. respondentes, suam pro viribus censuram defenderunt. Cornelius à Lapide sub sæculi decimiseptimi initium fratrum suorum opinioni subscribit (m), pro qua sunt etiam Bonfrerius (n), Mariana (o), & Bellarminus (p). Mariana ante Cornelium à Lapide scripsit, Bellarminus verò ante Lovanii censuram; Bonfrerius denique in Pentateuchum anno 1625. vulgatum accepimus.

Ab his Scriptoribus hanc sententiam non esse primò inventam Simonius asserit (q); quam etiam apud Cajetanum in Lucam Comment. (r) annos supra quinquaginta ante Jesuitarum, & Lovaniensium Docto-

1 Vid. Irenæus l. 2. c. 22. Origin. Philocal. c. 10. & lib. 5. contr. Cels. Cyprian. serm. de opere & eleemosyn. Thaumaturg. serm. 2. de Annunciat. B. M. V. Clem. Alex. l. 2. Strom. Euseb. Hist. Eccl. l. 5. c. ult. Epiphani. hæres. 76. Nyssen. orat. 7. contr. Eunom. Chrysost. hom. 26. in Genes. Hieron. & August. plurib. loc. Vide & Tertull. cont. Hermog. c. 22. m. Cornel. à Lap. in Ep. 2. ad Timoth. 3. 16. n. Bonfrer. Prolog. cap. 8. sect. 1. o. Marian. Tract. de Vulg. edit. p. Bellamin. Tract. de Verbo Dei. q. Vid. D. Simon. hystor. Critic. Not. Testam. c. 23. 24. r. Cajet. in Luc. 1.

rum discipulationem, se reperisse testatur. Ferdinandus de Alcalante in suo Conciatorum Clypeo, teste eodem Simonio, eandem doctrinam docuit (s). P. Frassen Bonfrerio adhaerens (t), tria in Sacris Libris Inspirationum genera distinguit, quarum primam antecedentem, concomitantem alteram, ultimam consequentem appellat. Fit antecedens, cum Sacer Author, quæ sibi inspirata sunt, scribit, sicut discipulus ea scripto excipit, quæ sibi à Præceptore didicantur. Fit verò concomitans, cum quin verba inspirat, ita Spiritus Sanctus Scriptori adest, ut in errore quemlibet illum adduci minimè permittat. Consequens denique fit, cum ea, quæ quis suâ industria & studio, quin ulla inspiratio, & auxilium supernaturale interfuerit, literis tradidit, deinde Ecclesia certæ autoritatis esse decernit, & Divinas inter Inspirationes enumerat.

Inspirationem geminam Melchior Canus (u) agnoscit, alteram nempe peculiarem, quæ Sacer Scriptor ea percipit, quæ aliunde penitus nescit; alteram, quam directionis & præsentia vocat, quæ Scriptor dirigitur, ne in iis, quæ refert, decipiatur. Hanc verò sententiam plurimorum Patrum auctoritate fultam Canus idem defendit; equidem ante Lovanii censuram, ejus enim Opus anno 1562. à Maritri Censoribus, & anno 1573. à Censoribus Belgii probatum fuit. Cano Contentionum jungimus, qui Scriptoribus Sacris proximam semper minimè adfuisse inspirationem docet, sed quandoque eos speciali tantum directos fuisse præsentia, ne in errorem traherentur: In omnibus igitur habuerunt non revelationem, sed assistentiam, & auxilium, ne laberentur.

Cum de SS. Librorum inspiratione Simonius agit, hanc eandem opinionem propugnat (x), & Lovanienses Theologos, & Arnaldum, qui Scriptoribus Sacris peculiari semper & proximâ Spiritus Sancti inspiratione afflatos asserentes, sine eâ de S. Scripturarum Divinitate certiores omnino nos esse non posse defendebant, fusè refellit. Cæterum idem Simonius, sive per novam inspirationem, sive per peculiare lumen, quo Scriptoribus Sacris in verbo quolibet, & in qualibet sententia, ne in errorem seu oblivionem inciderent, illustrati fuere, omnium omnino S. Scripturarum Authorem Spiritum Sanctum esse testatur.

D. Abbas du Pin Inspirationis nomine, cum de omnibus SS. Libris agit, directionem, & peculiarem præsentiam accipiendam esse asserit, quæ Spiritus Sanctus Scriptori præsto est, ne in errorem incidat, cum ea, quæ aliunde scit, literis mandat (y). Quæ in re Spiritus Sanctus duo Scriptoribus præstat: primò, fixam iis, constantem, & infallibilem vera referendæ voluntatem; secundò, eo lumine eisdem perfundit, ut in iis, quæ aliunde noverant, congerendis, neque oblivioni, neque errori obnoxios unquam fieri contingat. Quod utique Divinæ & infallibilis utriusque Testamenti authoritati stabilis fati conducit.

s De Alcalante l. 1. c. 4. t Frassen. disquisit. Biblic.

u Melchior Canus de loc. Theolog. l. 2. c. 16. 17.

x Hist. Critic. N. T. c. 23. & 24.

y Dissertation. Preliminar. in Bibl. l. 1. c. 2.

Erasmus à Patribus, qui SS. Authores proximè inspiratos, & omnia omnino tum re, tum phrasibus, Deo authore, in Scripturis congesta asserere, diversa & absona sentire insimulatus, Apologiam contra quosdam Hispaniarum Monachos scripsit.

Hac in re Protestantes à Patrum sententia non discessere; & eorum primum (z) Grotium fuisse credimus, qui in iis, quæ aliunde noverant, referendis Spiritum Sanctum peculiari tantum directione, & præsentia Scriptoribus, ne erroribus obvolverentur, adfuisse defenderit. Spinoza omnem penè SS. Librorum inspirationem evertit, cum supernaturali nullo dono præditos, nullâ eorum Authores peculiari, & Divinâ præsentia directos agnoscat.

Anonymus ille, cujus sententiam undecima Batavorum Theologorum Epistola fusè recenset, cum Spinozâ fermè convenit (†); omne enim supernaturale auxilium à Sacris Authoribus rejicit, nisi tantummodò cum peculiari, quid non nisi Divino lumine afflati referre potuerunt. S. Historicis memoriâ tantummodò & diligentia opus fuisse; Prophetas verò recordationis eorum, quæ vel per somnium, vel per visionem perceperant, ut eadem deinde vel scriptis traderent, vel scribenda didicant; quare ad supernaturalem inspirationem confugiendum non esse statuit, ut, quomodò scriperint, percipiamus. Libros morales, & Psalmos, in quibus vaticinia nulla, Jobum v. g. Proverbia, Ecclesiastem, Cantica, ab Authoribus piis, sapientibus, studiosis, veracibus & instar proborum omnium hominum Spiritu Sancto perfusus conscriptos perhibet. Quo satis superque fieri asserit, ut eorum Opera tamquam proba, certa, & intemeratè fidei excipiamus.

Sacras præterea historias nullatenus idcirco inspiratas asserit, 1. Quòd earum Authores seu à Veterum monumentis hausisse, vel ab aliis audisse, vel denique propriâ industria, & studio se eas percipisse fateantur. 2. Quòd ubi duo, seu plures Authores idem referunt, quandoque inter se minimè convenient. 3. Quòd numeros interdum certò non statuant, sed phrasi Spiritus Sancti infallibilitati minimè consentaneâ has voces adhibeant: circiter, quodam tempore, duobus, seu tribus diebus &c.

Inspirationem quoque, quam nos Apostolis tribuimus, omnino rejicit, quòd iis minimè fuerit necessaria. Illi enim, inquit, Religioni Judaicæ principia optimè noverant: quæ Evangelium Judaismo addat, sapiens à Jesu Christo audierant; quæ ad Messiam pertinent, satis didicerant: ipsi etiam ipse Christus & miraculis plurimis, & argumentis Messiam, & tandiù expetitum Servatorem se esse ostenderat; quare quæ viderant, quæque audiverant, tamquam certa, & infallibilis authoritatis poterant utique recensere. Miraculorum verò potestas, quæ à Christo donatos scimus, illud etiam præstare valuit, ut firmiori memoriâ, & clariori lumine instruerentur. Quod planè satis erat, ut nos eorum Scripturas tanquam vitæ nobis dirigendæ normam

z Grot. Notum pro pace Eccle. Hist. tit. de Canone Scripturæ.

† Quorundam Batav. Theolog. sententia. Epist. 11. pagæ 232. 233.

exciperemus. Hoc Anonymi systema.
 Ex his tres sententias, seu tria de Inspiratione systemata formantur. Primum nil supernaturale in Sacris Authoribus statuit, & in Historicis illis fidem tantummodo & memoriam; in Moyse suas Leges recensente studiosam in iis, quæ sibi Deus mandaverat, referendis curam; in Prophetis firmam ad ea, quæ sibi Deus revelaverat, retinenda, eademque deinde seu scribenda, seu dictanda recordationem; in Scripturis moralibus pietatem, lumen, sapientiam, & Spiritus Sancti eos perfundentis præsentiam; in Apostolis denique certam in iis, quæ à Domino audierant, recensendis fidem exposcit.

Secundum à Patribus constituitur, qui Sacros Scriptores & actu, & proximè ita inspiratos ferunt, ut nihil omnino tum re, tum phrasibus, in omnibus Scripturæ Libris exhiberint, quod à Deo non acceperint.

Tertium geminam Inspirationem statuit, quarum prima Sacros Authores afficit, cum ea scribunt, quæ nullatenus scribere possent, nisi actu per inspirationem & quid sibi scribendum esset, & quomodo explicandum, edocerentur; altera verò ad eos attinet Authores, qui peculiari Spiritus Sancti directione, & presentia instruuntur, ne in iis, quæ vel per se ipsos didicerant, vel ab aliis acceperant, referendis unquam decipiantur, utque suis Scripturis infallibilem vindicent auctoritatem.

Horum primum systema inspirationem evertit, adeoque & Religionem, quæ, ut ostendimus, demptâ inspiratione, corrueret. Ad humanam tantummodo fidem Ecclesiam redigit, cum utriusque Testamenti Scriptores, nisi inspirati fuerint, divinam sibi fidem nullatenus vindicent. Ipsam quoque Scripturam oppugnat; legimus enim (a): *Omnis Scriptura Divinitus inspirata*; & alibi (b): *Omnis prophetia Scriptura propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines.* Denique adversatur Ecclesiæ, cui Christus infallibilitatem promisit, & quæ omnes omnino utriusque Testamenti Scripturas divinitus inspiratas esse decrevit.

Ejus systematis Author hunc perpetuò paralogismum urget: Necessè minime fuerat, ut Sacras historias Deus inspiraret; & vera igitur non inspiravit. Cui statim facile occurrimus. Authores Sacros inspiratos fuisse ita nobis perspicue constat, ut inde inspiratos verè fuisse sit concludendum. Factum, seu dogma Scripturæ auctoritate, & validissimis principiis quammaximè sultum anne per inanem ratiocinationem evertatur? Necessè utique non fuit, ut ad homines redimendos Verbum Divinum & carnem assumeret, & mortem obiret; ergone neque carnem assumpsit, neque mortem obivit, concludamus? Nullum fermè factum revelatum occurreret, quod hujusmodi abutentes principio non everteteremus.

Deum utique absque necessitate & consilio miracula non multiplicare fatemur. Ideo igitur Sacros inspiravit Authores, quod illos inspirandi per plurima sibi fuerint argumenta. Historicus sanè, quin divinitus inspiretur, veram potest, certamque intexere historiam; potest Sacer Orator absque peculiari inspiratione validis, & evincèntibus veritatibus utilem Orationem exhibere; Historicus verò, certâ licet fidei, & accurata diligentia, nunquam Divinæ & infallibilis auctoritatis historiam contexit; neque Concionator veluti infallibilem morum normam, & supernaturalis Fidei argumentum, Orationem exhibebit, nisi diligentia & memoria Historici, & pietati ac Concionatoris scientiæ celeste, quod eorum Operi præfuerit, lumen addatur; vel nisi saltem utriusque peculiaris & Divina adfuerit presentia, quæ errorem, & quamlibet humanæ naturæ infirmitatem ab eis averterit.

Author, cujus systema impugnamus (c), juxta suam hypothèsim Sacras Scripturas quod soli hominum testimonio nitantur, solâ humana fide credendas asserit. Addit præterea, Librum, quem Matthæi Evangelium dicimus, Matthæi verè esse, à nobis etiam credi humanâ fide, unanimi nempe Christianorum consensu, qui humanum testimonium non excedit; quam tamen fidem æquè ac geometricas demonstrationes certam esse defendit. Imò & ipsam fidem Divinam humanæ fidei inniti perhibet: cur enim, inquit, in Christum, & de Christo credimus, nisi quod eius historiam veram esse ducimus, nisi quod eam oculati testes conscripserint, & ad sui testimonii veritatem defendendam mortem usque pertulerint? Per quem denique hæc nos certò scimus, nisi per historias? Ita fit, ut humana fides Divinam effulciat. Hæc Batavi Theologi, seu Author ille, cujus de SS. Librorum inspiratione systema prætulimus.

Ea verò sunt hic fecerenda, quæ Scrip-tor iste confundit. Divina Fides, cum Dei nobis revelantis auctoritati potissimum innitatur, & ipsa necessariò certa est, atque infallibilis, quod Veritate, quæ neque decipere, neque decipi potest, præcipue fulciatur. Fides verò humana, quamlibet certam auctoritatem præferat, infallibilitatem nunquam attingit; nunquam enim ed pervenit, ut omnem omnino ambiguitatem propulset. Fieri semper potest, ut homo in errore incidat, nosque sive dolo malo, sive per inscitiam, in fraudem pertrahat. Fidem, quam homini, quicumque is fuerit, nos adhibemus, Deus nihili facit, illud quidem jubet, ut, quidquid nobis revelat, fide Divinâ credamus idcirco tantummodo, quod nobis illud revelaverit. Si credentes aliorum testimonio ducimur, fides nostra nec Divina est, nec ad meritum confert. Necessè est, fides nostra sit consentanea rationi, à qua quidem longè discederet, si, quæ homo, vel plures etiam Viri, peritiores licet & sapientissimi dixerint, nos

c. Sententia quorundam Batav. Theologor. Epist. xi. pag. 233.

a 2. Timoth. 3. 16. Ab initio sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.
 b 2. Petr. 1. 20.

certâ omnino fide crederemus; si enim decipi primùm possent, nos deinde in errorem adducere. Si homini ut ipsi Deo credimus, si nempe hominis auctoritati, veluti certâ & infallibili fidem habemus, per fidem nostram Deo injuriam irrogamus, cultum enim, & credulitatem, Deo soli tribuendam, homini exhibemus.

Qui nos ea, quæ Fide Divinâ credimus, à testimonio humano percipere asserit, & nostram fidem humanæ inniti auctoritati inde concludit, paralogismum instituit. S. Joannes v. g. Verbum Deum esse testatur: anne Christi Divinitatem, quod illam testetur Joannes, credimus? Minimè quidem. Idcirco credimus, quod Deus per Joannem revelaverit. Joannem Dei vocem & instrumentum esse, Deum verò per ejus os alloqui, nosque per ejus Scripta erudire scimus. Caterùm eo ratiocinio omnes cognitiones, & scientiæ, ipsæ etiam certissimæ demonstrationes errori obnoxie esse ostenderentur, quod à sensibus, qui falli quidem possunt, dependant. Nostrum utique sensus neque principium neque fundamentum, sed medium tantummodo & instrumentum se nobis præstant, quibus per animadversiones, & intellectus nostri perspicaciam, & studium res ipsas & demonstrationes attingimus. Non secus nostra fides nullam ab eo qui vel scribit, vel loquitur, vim sibi vindicat, sed omnem à Deo, qui per Evangelistam, vel Scriptorem Sacrum loquitur, auctoritatem ducit. Balaam pravus erat & nequam, dignus idcirco, cui, ejus habitâ ratione, nulla fides præferretur; nihilominus eundem inspiratum scimus, ejusque habemus vaticinia, quorum veritatem eventus implevit. Non homini igitur, sed Spiritui Sancto hominem inspiranti fides nobis est adhibenda.

Nostrum verò est certò percipere, an Deus per ejus, qui loquitur, os verè loquatur; quæ de re nobis perspicue statim constat, modò de animadvertamus, quæ in prima hujus Dissertationis parte tradidimus; an nempe Ecclesiæ Authorem inspiratum agnoscat; an ejus Opus omnes inspirationis characteres præferat; an denique Deus miraculis, & supernaturalibus suæ præsentis signis Scriptori auctoritatem adjunxerit.

Argumenta, quibus adversarii SS. Scripturam inspirationem impugnant, quod scilicet Authores Sacri ab alio historias acceperint; vel quod eas proprio studio, atque solertia scripserint; vel quod interdum inter se non conveniant; vel denique

que quædam ambiguitatis speciem præferentes phrasés adhibeant, nihili prorsus habemus. Scripturarum repugnantia primâ quidem facie, re nunquam pugnant, quippe quæ pluries ab Authoribus conciliata sint. Accuratio, studium, & Historicorum solertia eorum inspirationi nil detrahunt; quin & post demonstratam historiæ veritatem iis ipsis, qui Sacros Scriptores perinde habent ac vulgares ceteros, eorum etiam divinitatem apud illos commendant, cum Deum suæ Ecclesiæ infallibilitatem, suis verò famulis inspirationem promississe inde liquidò percipiatur. Phrasés denique, quæ ambiguitatem præferunt, loquendi phrasés sunt hominum idiomati sapientissimè familiares, qui passim quidem in Scripturis occurrunt, & Dei, ut nos erudiat, nostri idiomatis infirmitati suas sententias accommodantis erga homines indulgentiam ostendunt.

Veterum Patrum de SS. Authorum inspiratione systema ipsi innititur Scripturæ, & Jesu Christi, & Apostolorum auctoritati, à quibus omnes omnino SS. Librorum Authores Spiritu Sancto perfusos docemur, & ad omnes omnino Scripturas veluti ad Divinæ Fidei, & infallibilis auctoritatis Libros promissè remittimur. Ecclesiæ denique utriusque Testamenti Libros inspiratos fuisse absolutè decernit.

Theologi verò, qui duo, vel tria inspirationum genera statuunt, & cum Patribus Scripturam inspiratam, & auctoritatis infallibilis esse conveniunt, ab iisdem Patribus non sunt fecerendi; non enim aliam conducunt sententiam, sed Patribus honorem habentes, id clariùs explicant, quod illi rudiori methodo defenderunt; neque varia inspirationum genera inducunt, nisi ut faciliùs Hereticorum ora præcludant, & dogma, quod nonnullæ difficultates obnubilant, dilucidius exhibeant.

Qui eos impugnant, quamvis eâ de re & Patrum conclusiones, & Ecclesiæ decreta exciperent, ab ejusdem Ecclesiæ & Patrum spiritu eosdem discessisse putarunt. Verumtamen nulla sanè apud ipsos, quàm vocum, & phrasium varietas. Cum porro res seridè perpenditur, difficillimè ab eorum distinctione abstinere posse invenimus; unaque utilitati illud conducere agnosci-mus, si Sacros interdum Authores, ut Divinam sibi vindicarent auctoritatem, Spiritus Sancti, à quo ducerentur, ne in errorem incidere, directionis & præsentis tantummodo indigos fuisse fateamur.